



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Ivstitia Et Ivre ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

6 Vtrùm rei debitæ interitus excuset.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)

impediendum, & cum molestijs & calumnijs con-
iuncta.

59 Tertia pars, *Quod interdum tenearis ex iustitia differre restitutionem*, patet; vt si furens ira in inimicum, reposcat depositum gladium. tunc enim reddere, censeretur esse propinqua cooperatio. vide Nauarrum supra, & L. Si pignore. §. 4. de furtis. vbi dicitur: *Qui ferramenta sciens commodauerit ad effringendum ostium vel armarium: vel scalam sciens commodauerit ad ascendendum, licet nullum eius consilium principaliter internenerit ad furtum faciendum, furti tamen actione tenetur*, quod intellige, nisi ex reculatione graue malum tibi impenderet: tunc enim illa reddere vel commodare non censeretur cooperatio: quia est actio per se indifferens.

DUBITATIO V.

Vtrum si id, quod tibi debeo, soluam tuo creditori, liberer à restitutione tibi facienda.

60 *Solutio facta creditori creditoris mei.* Respondeo, Hæc solutio me liberat in foro conscientia, si mihi constet te illi debere. Ita Angelus v. Solutio. n. 13. ex Glossa Instit. Quibus modis tollatur obligat. Siluest. v. Solutio. num. 4. Medina quaest. 3. causa 5. vt si tibi debeam 100. & tu tantumdem debeas meo fratri; si soluam fratri, tibi non amplius obligor. Ratio est; quia dum soluo tuo creditori 100. cui debes tantumdem, transfero in me ius, quod ille in te habebat ad exigendum à te 100. vnde si tibi tantumdem debeam, possum vt compensatione. nam ius, quod ego in te tunc habeo, tanti valet, quanti illud quod tu in me. Itaque in conscientia tibi non amplius obligor. Dico in conscientia, quia secundum Bartolum in L. Solutum. 11. de pignor. actio. cogar in foro externo tibi soluere; nisi res debita, quam restituo tuo creditori, sit illi obligata; vt si conduxisti à te domum, quam tu conduxisti ab illo; vel nisi mea causa factus sis debitor illi; vt si gerens mea negotia mutuum acceperis. Verum in foro conscientia hæc minimè sunt necessaria; sed sufficit, vt tu verè ex lege iustitia alteri debeas, vt Angelus & Siluest. supra docent.

DUBITATIO VI.

Vtrum rei debita interitus excuset.

62 *Rei interitus.* Respondeo, & Dico Primò, Si res, quam debes restituere, sit in specie aliena, excusaris eius interitu, si non intercessit tua culpa, vel mora, vel pactum. Secus verò si aliquid horum intercessit, nisi similiter fuisset peritura apud dominum, vt patet ex dictis cap. 7. dubit. 6. & 8. & cap. vnico, de commodato.

63 *Si consumpta in necessitate.* Dico Secundò, Si rem alienam magni pretij in extrema necessitate tua consumpsisti, verius est, te non excusari à restitutione, dum pinguior fortuna obtigerit; sed teneri tacito quodam pacto, quod censeretur lure gentium interuenisse: etsi contrarium sit probabile. patet ex dictis dubitat. prima huius capit.

Dico Tertio, Si res non sit in specie aliena, sed tua, eius interitus non te excusat. Ratio est, quia res domino suo perit, vt si pecunia destinata solutioni, furripiatur; vel à confessario, cui executionem comissisti, retineatur. Vbi Notandum est, quosdam existimare in hoc casu quo negotium confessario vel Parocho commissum est, tradita ei pecunia vt restituatur, (eò quòd debitor sine sui infamia non possit per se exequi) si eam retineat, debitorem excusari. Ratio illorum est, Primò, quia hic restitutionem quantum in se est fecit, vt debuit & potuit: ergo ab eò non est amplius exigendum. non enim tenebatur per se restituere, cum id sine suspitione criminis facere non posset; (vti supponimus) neq; poterat inuenire commodiorem & tutiorem viam, quàm per Parochum, vel confessorem. Secundò, Quia si creditor actu expresso consensisset, vt fieret hoc modo restitutio, debitor non teneretur ad amplius: sed in hoc casu creditor implicite & actu debito censetur consensisse, (quia tenebatur consentire) qui consensus implicitus & debitus eandem vim habet, quàm expressus: ergo excusatur.

65 *Si non exsequatur, non liberatur.* Sed contrarium est longe verius, vt docet Nauarrus c. 17. n. 67. & D. Ant. p. 2. tit. 2. c. 4. §. 1. idq; siue res in specie sit aliena, siue non. Si enim non est in specie aliena; vt si mittas pecuniam vel rem tuam tradendam creditori, & non tradatur, tibi perit, etiam si debeas ex contractu. Nisi forte creditor miserit vel assignauerit hominem certum, cui numeres: hic enim loco creditoris acceptat, & ita transfertur dominium in creditorem. Vnde si retineat, creditoris est damnum, vt docet Siluester Restit. 4. q. vlt.

66 Si verò est aliena in specie, v. g. torquis, vestis, equus, etiam tuo periculo perit & retinetur, si iniuste accepisti. Ratio est, quia intercessit culpa per quam dedisti occasione damni domino obuencientis. si enim non furripuisses, ille rem suam non amisisset. Confirmatur, quia qui rem furripuit, tenetur de casu fortuito, eò quòd apud dominum non sic periisset, vt patet ex cap. 7. dub. 8. & cap. 12. dubit. 15. ergo, &c. debebat enim, cum acciperet; cogitare, similes casus ex surreptione posse euenire.

67 *Ad rationes in contrarium.* Ad primam rationem Respondeo, Fecit quidem quod debuit & potuit pro illo tempore, sed cum tacita obligatione, vt si res non succederet, teneretur inire aliam viam, donec damnum reipsa sit compensatum.

Ad secundam, Dominus non tenebatur consentire, vt per Parochum restitueret; nisi cum onere iterum restituendi, si reipsa Parochus non exequeretur.

Aduerte tamen, contrariam sententiam non videri omnino improbabilem; ob rationes allatas, & quorumdam doctorum virorum, qui illam tenent, auctoritatem.

DUBITATIO VII.

Vtrum Iuris vel Iudicis auctoritas excuset à restitutione.

68 Respondeo, Quibusdam casibus excusare. Primò, Quando res legitimo modo est vsucapta: tunc enim auctoritas legis transfert dominium in eum qui vsucepit; de quo supra cap. 6.